

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**M. Tullius Cicero Mannvciorm Commentariis Illvstratvs
antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens De Philosophia Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiiis, 1583

Ad Chr Henricvm III Galliae Et I Poloniae Regem

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](#)



M V M
A D . C H R .

H E N R I C U M III · G A L L I A E E T . I . P O L O N I A E



AGNA inter mortales, HENRICE REX, atque adeo maxima Virtutis uis appetet. ea duce, summa quaque homines gerunt, eximiamq. nominis immortalitatem sibi comparant. Haec si in priuatis hominibus mira efficit, quid nam existimandum est in Principibus efficere, quiq. a Deo Opt. Max. ueluti exemplar ad imitandum nobis propositi sint? Omnes certe Principes a Deo esse, quis ignorat? Sed tamen, inter ipsos plurimum interesse, quis non uidet? Ut eos proxime ad Deum accedere putandum sit, qui uirtute magis praestent, eamq. uita ipsa nobis exprimant. Potest singulari uirtute uir familiam uel obscuram illustrare. Potest & patriae, alioquin humili, splendorem afferre. Quod si non in una ciuitate, sed in eadem familia plutes, pluresq. huiusmodi sint, siq. ij Principes sint, tantum & Provinciae ipsi, & Ciuitati, & Familiae luminis accedit, quantum nedium cogitatione assequi nobis licet. Hoc ego saepe mecum reputans, & attente animo uoluens, nihil reperiri posse affirmo, quod Regiae Gallorum genti aequiparari ualeat. Quae, tot saeculorum, tot Regum propagatione celeberrima, CHRISTIANISSIMI titulum merito est consecuta. Quicumque enim Christianam pietatem sic amplexantur, atque defendunt, ut eam rebus omnibus anteponant, atque ab eius sanctissimis, & saluberrimis institutis numquam oculos, animumq. deflectant, uiuentibus gloriam inter homines, animi tranquillitatem, secunda omnia, post obitum sempiterna diuinae felicitatis praemia largitur Deus. Hoc Tu, a maioribus Tuis Tibi traditum, Patriis praesertim exemplo ad-

200 * 2 ductus,

ductus, ad tuendum, augendumq. diuini Familiae Tuae nominis de-
cuss, tam constanter retinendum duxisti, ut, nondum decimum octa-
uum annum cum ageres, pluribus uictoriis sis potitus, quibus non so-
lum interfueristi, sed etiam maxima cum laude praefueristi. Ut ad C H R I-
S T I A N I S S I M I nomen, quod hereditarium habes, PIETATEM pro-
priam adiunxeris: & omnes Tibi post DIVVM. H L V D O V I C V M Pie-
tatis primas deferant. Ea enim adolescens in maximis proeliis es au-
sus pro Christianae Reip. salute, quae magno, atque in re militari pe-
ritissimo Imperatore digna es. Tuaeque uitae exemplum, Tuus ani-
mus, summa, singularisq. pietas erga Deum, ualde, relicto armorum
metu, multis in rebus profuit. Haec dum per uniuersum Terrarum
orbem maxima cum admiratione Virtutis Tuae, omnium bonorum
applausu, celebrarentur, factum est, ut non solum ipsa Te Gallia
semper adamauerit, sed longinquae etiam Nationes, Virtutum Tua-
rum fama permotae, expetierint. Polonia enim, Rege mortuo, Te, sum-
ma Christianorum omnium laetitia, Regem nominauit. Quod opu-
lentissimum Regnum Tu felicibus auspiciis ingressus, quae non age-
bas immortalitate digna? quae ue praetermittebas, quae non solum ad
Tui nominis immortalitatem, uerum etiam ad totius Regni commo-
dum, & ornamentum facere uiderentur? Diuinitus ut euocatus uide-
reris ad eius praesidium, atque salutem. Multaq. a Te instiruta, sum-
ma Tui nominis gloria, conseruantur. Iam in praeclaro actionum cur-
su cum Te Polonia conficeret, Gallia reuocauit. Mortuo enim, uel
potius ad caelestem Patriam accersito C A R O L O IX. Fratre Tuo, prope-
randum Tibi fuit in Galliam; ut ea, quae ipse singulari uirtute coepe-
rat, Tu singulari quoque uirtute perficeres. Poloniae perillustrem
Tui memoriam reliquisti. Neque Italiam, cum in Galliam profici-
scereris, Tua praesentia fraudare uolueisti. Quae, Te cum uideret, tota
exsultans, mirifica optimae uoluntatis signa dedit. exceptus enim es
ubique plane Regio apparatu, quiq. Tibi, H E N R I C O scilicet, tot Re-
gum, tot Heroum uero successori, conueniret. Veneta certe haec Resp.
Tuo aduentu auditu, quae pro incredibili omnium laetitia non
cogitauit, non effecit, quae ad amorem, & obseruantiam erga Te
suam declarandam ualerent? totius Orbis iudicio ea praestitit, in Te
excipiendo, quae uix mente complecti possint. amorem profecto
sum, & summa Tua merita, una eademq. ratione maxima, & per-
petua laude probauit. Magna omnia, & aeterna memoria digna
sunt, quae Venetijs uisa fuerunt, quamdiu Tu fuisti. Sed utinam,
H E N R I C E . R E X , animos, intimosq. omnium sensus intueri potuif-
ses. nihil carius, nihil suauius, nihil amabilius Tibi umquam esset.
nihil eo tempore ab aliquo cogitari posse uidebatur, quod ad hono-
rem Tuum, & cuiusque obseruantia Tui nominis, non spectaret, non
respiceret. nullus sermo alicubi, uel publicis in locis, uel intra domesti-
cos



cos parietes, nisi de Tuis laudibus, habebatur . exsultare omnia , etiam
seniū parentia, videbantur . & tandem discessus Tuus maximum Tui
desiderium omnibus reliquit. Teq. discedentem animo, & mente pro-
secuti sunt . Senatusq. hoc , ad posterorum memoriam, testatum esse
uoluit. Ad Matrem dolentem, ad Regnum afflictum, in columis igi-
tur cum peruenisses , dici uix potest , quantam Regina , Regnumq.
ipsum consolationem, atque laetitiam perceperit. Tua enim uirtus ,
Tua immensa humanitas, iamdiu optata, quasi lucidissimus Sol post
longas tenebras, eorum oculis apparuit: & salutis spem prope amissam
restituit. Rex es , HENRICE , planeq. Regno dignus . Neque quis-
quam umquam a Te quidquam petiit , quod Tu non liberalissime
praestiteris. Cumq. omnia in Te Regia conspiciuntur, amorem, obser-
uantiamq. Tibi ab omnibus concilias . & omnes perpetuam Tibi, Re-
gnoq. felicitatem precantur. Haec cum omnia saepissime mecum
cogitare, atque admirari soleam , pro summa, ac singulari mea erga
M. T. obseruantia ; in mentem uenit, ut hoc M. Tullij Ciceronis Vo-
lumen, quod maximis meis laboribus, & uigiliis explicare sum cona-
tus, cum tam optimo Virutis Tuae, & obseruantiae meae testimonio
per manus hominum circumferatur. Deus opt.max. fortunet Tua
praeclara consilia . Venetiis. **C I C I X C I I I .** illo
ipso Pentecostes die, quem Tibi ad immortalitatem praecipuum de-
dile uidetur Deus. eo enim & Poloniae Rex electus, & ad hereditarium
Galliae Regnum uocatus fuisti.

M. T. obseruantissimus,

Aldus Manutius,

Pauli F. Aldi N.



H E N R I C V S
III. GALLIAE . ET . I. POLONIAE . REX . CHRISTIANISS.

A C C E P T O

DE . IMMATVRA . CAROLI . IX . GALLIAE . REGIS . FRATRIS . CONIVNCTISSIMI . MORTE
TRISTI . NVNCIO

E . POLONIA . IN . FRANCIA M

AD . INEVNDVM . REGNVM . HEREDITARIVM
P R O P E R A N S

V E N E T I A S

A N N O . S A L . C I D C I D L X X I V . X I V . K A L . S E X T .

A C C E S S I T

ATQVE . AB . ALOYSIO . MOGENIGO . SERENISS . VENETORVM . PRINCIP E
ET . OMNIBVS . HVIVSCE . REIP : ORDINIBVS
NON . MODO . PROPTER . VETERIS . AMICITIAE . NECESSITVDINEM
VERVM . ETIAM . OB . SINGVLAREM . DE . IPSIVS . EXIMIA . VIRTUTE

ATQVE . ANIMI . MAGNITVDINE / OPINIONEM

MAGNIFICENTISSIMO : POST . HOMINVM . MEMORIAM . APPARATV

ATQVE . ALACRI

ITALIAE . PROPE . V NIVERSAE

S VMMORVMQ . PRINCIPVM . P R A E S E R T I M T M
C O N C V R S V

E X C E P T V S . E S T

A D . CVIVS . R E I . GRATIQ . REGIS . ANIMI . ERGA . HANC . R E M P . MEMORIAM . SEMPITERNAM

S E N A T V S

H O C . M O N V M E N T V M . F I E R I . C V R A V I T

ARNOLDO . FERRERIO . SECRETIORIS . EIVS . CONSILII . PARTICIPE

R E G I O . A P V D . R E M P . L E G A T O

I D . E T I A M . P O S T V L A N T E



I N D E X
L I B R O R V M
Qui hoc Volumine continentur.



<i>Academicarum quaestionum, editionis primae liber II. qui inscribitur Lucullus</i>	1	
<i>Academicarum quaestionum, editionis secundae liber I.</i>	33	
<i>De Finibus Lib.</i>	<i>I.</i>	45
	<i>II.</i>	57
	<i>III.</i>	79
	<i>IV.</i>	93
	<i>V.</i>	108
<i>Tusculanarum disputationum Lib.</i>	<i>I.</i>	129
	<i>II.</i>	170
	<i>III.</i>	185
	<i>IV.</i>	213
	<i>V.</i>	240

